


teris pinnicidij umbra lineæ fiduciæ sit parallela, indicabit diameter dorſi Aſrolabij per armillam tranſiens ſitum meridianæ lineæ, ita ut eius pars verſus armillam rectâ in Auſtrû vergat; altera verò in boream: altera demû diameter priorẽ ad angulos rectos fecans puncta vera ortus & occaſus demonſtrabit. Certius autem idem fiet per inſtrumentum à Petro Nonio lib. 2. de nauigat. c. 6. conſtructum, quo eadem opera & umbra & altitudo ſolis obſeruatur, cuius deſcriptio hæc eſt. In quadrata aliqua tabella plana, v. g. A B C D, deſcribatur quadrans B F, ex E, diuidaturq; in 90. gradus initio factò à B, & per F agatur F H, lateri quadrati C D parallela, & in ſemidiametro E F, ipſi quadratæ tabellæ inſiſtat ad angulos rectos norma ſiue triangulum rectangulum E F G, cuius 2. latera E F, F G æqualia ſint & hypothenuſa E G: poterit autem triangulû hoc ita accomodari, ut deprimi poſſit & eleuari, ita tamen ut ſemper rectû ſit ad quadratû A B C D. Atq; ut minus graue ſit & ponderoſum, excidendæ erunt partes ſuperfluæ intra & extra quadrantem E B F. Itẽ partes interiores trianguli E F G, ita ut intacta relinquantur arcus B F, recta F H, & hypothenuſa E G. Iuxta latus quoque trianguli G F appendi poteſt filum cum perpendicularo, ut facilè planû, ſupra quod eſt ſtatuendum inſtrumentum, vel certe ipſumet quadratum A B C D, horizonti parallelum poſſit cõſtitui.

Vſus huius inſtrumenti talis eſt: Ponatur inſtrumentum in plano horizontali (quod tum demû fiet, ubi filum perpendiculari lateri G F



adhære.